

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta** : 3547

**Auteur(s)** : Louis IX, France (roi)

**Bénéficiaire(s)** : Laurent Chambellan, boulanger du roi [autre]

**Genre d'acte** : charte

**Authenticité** : non suspect

**Datation** : 1256, août

**Lieu d'émission** : Pont-de-l'Arche

**Action juridique** : autre

**Langue du texte** : latin

## Analyse

Louis [IX], roi de France, notifie l'accord conclu entre le maire et les habitants de la cité de Rouen et Laurent dit Chambellan, boulanger du roi, sur les droits divers concernant les boulangeries dans la cité de Rouen et la banlieue de cette ville.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Delisle Léopold, *Cartulaire normand de Philippe-Auguste, Louis VIII, Saint-Louis et Philippe le Hardi*, Caen, Hardel (MSAN ; 16, 2e série, 6, p. 160-390), 1852, n° 569, p. 106.

Texte établi d'après a

Ludovicus, Dei gratia, Francorum rex. Noverint universi tam presentes quam futuri, quod, cum contentio esset inter majorem et cives Rothomagenses, ex una parte, et Laurencium dictum Cambellanum, panetarium nostrum de Rothomago, ex altera, super justicia, custodia, forefactura, ponderibus panis et emendis bolengariorum et aliorum vendentium panem in civitate Rotomagensi, et infra banleucam civitatis ejusdem et aliis ad predicta pertinentibus, que omnia predictus Laurentius dicebat se debere habere in dicta civitate et banleuca, quod predicti major et cives eidem denegabant, tandem idem Laurentius, in nostra presentia constitutus, quicquid in premissis omnibus habebat vel habere poterat, quoquo modo, prefatis majori et civibus ac eorum successoribus in perpetuum omnino quittavit et dimisit, sine aliqua reclamazione sui vel heredum suorum, pro XX libris turonensium annui redditus a predictis majore et civibus sibi solvendis duobus terminis, videlicet ad festum Beati Michaelis X libras et ad Pascha alias X libras, quousque hujus modi viginti libre annui redditus in certo loco infra balliviam nostram Rothomagi eidem Laurentio et heredibus suis assignaverint competenter, ad usum et consuetudines loci in quo fiet assignatio memorata, quam assignationem tenentur facere infra tres annos. Supradicta autem eidem quittavit et dimisit idem Laurentius, salvis sibi et heredibus suis omnibus aliis juribus, tenementis, redditibus, libertatibus et serviciis ad panetariam dicti Laurentii pertinentibus, secundum quod in cartis Henrici et Ricardi, quondam regum Anglie continentur. Hujusmodi vero redditum tenebunt à nobis et heredibus nostris idem Laurentius et sui heredes, sicut et alia jura et libertates panetarie supradicte. Nos autem, ad petitionem parcium, premissa omnia, prout superius continentur, volumus, concedimus et auctoritate regia confirmamus, salvo jure in omnibus alieno. Quod ut ratum et stabile permaneat in futurum, presentes litteras sigilli nostri fecimus impressione muniri. Actum apud Pontem Archie, anno Domini M° CC° quinquagesimo sexto, mense Augusto.